

sando habendum esse *rerum personarumque delectum*; et in sess. 24, cap. 5 de Reformat., inter causas dispensandi ponit *nobilitatem personarum*, quod etiam in jure frequens est. Aliquando vero dispositio personæ confert etiam ad intrinsecam rationem dispensationis, ut in cap. 1 Qui cleric. vel voventes.

26. *Dispensatio semper requirit aliquam causam, saltem extrinsecam.*—Denique ex his patet responsio ad tertiam rationem dubitandi in principio positam; dico enim dispensare in lege sine causa justa non solum esse malum, quia prohibitum, sed ex se, et ex natura rei, ac subinde semper esse malum: jamque declaratum est contra quam virtutem sit illa malitia. Solum superest unum verbum addere de consuetudine concedendi aliquas dispensationes sine causa. Dici autem imprimis potest concedi quidem sine causa intrinseca, non tamen sine aliqua causa saltem extrinseca, considerata ex parte legislatoris ad ostendendam benignitatem suam, vel misericordiam in occasione opportuna. Deinde dicitur, licet non antecedit causa, per ipsam dispensationem et modum ejus sæpe consummari; nam quando datur dispensatio sine causa, imponitur aliqua satisfactio, vel mulcta in pium opus, vel in aliam communem Ecclesiæ utilitatem, per quod opus consurgit causa dispensationis, quæ tunc fit per modum commutationis, sicut etiam in 4 tomo, disp. 54, in concessione indulgentiarum fieri diximus, et in dispensationibus id notavit Ledesma, 2, p. 4, q. 17, art. 3, in ultimis verbis ejus, dicens ad justam dispensationem non semper requiri causam intrinsecam ex parte ejus cui conceditur, sed sufficere extrinsecam, ut eleemosynam, aut contributionem aliquam in subsidium belli contra hostes Ecclesiæ, vel aliud simile pium opus.

CAPUT XIX.

UTRUM DISPENSATIO LEGIS HUMANÆ SINE JUSTA CAUSA DATA VALIDA SIT.

1. *Inferior in lege superioris sine justa causa non potest valide dispensare.*—Distinguere imprimis oportet inter dispensationem datam a legislatore in lege sua, et datam ab inferiori in lege superioris. Nam de hac posteriori omnes fatentur datam sine causa non solum esse illicitam, sed etiam esse invalidam, quia excedit potestatem dispensantis; non enim est efficax voluntas inferioris ad tollendum effectum per superiorem voluntatem constitutum, nisi

quatenus ab ipso superiore est concessum: non est autem verisimile esse concessum, ut hoc possit inferior sine causa. Et ideo tunc inferior excedit formam mandati, et operatur sine potestate, et ideo actum nullum facit. Quod latius probavi l. 6 de Voto, cap. 17, ubi sufficienter auctores allegavi, et omnes statim allegandi in hoc conveniunt, et ideo non est necesse in hoc immorari.

2. *Quæ cognitio causæ requiritur ad validitatem dispensationis.*—Solum oportet advertere communiter jurisperitos docere necessarium esse, ad valorem dispensationis ab inferiori datæ, ut dispenset causa cognita. Sed hoc dupliciter potest intelligi. Primo, de cognitione judiciali causæ, id est, ut secundum ordinem juris de illa inquiratur, et ea probetur. Alio modo potest intelligi de cognitione causæ, quæ in re sufficiens sit, quacumque via, seu diligentia adhibita. Quod igitur ad forum conscientiæ spectat, censeo hanc posteriorem cognitionem sufficere, quia ex natura rei sufficit, et nullum est jus positivum annullans dispensationem datam non servata forma juridica in cognitione causæ. Cujus signum est, quia non solum in dispensationibus inferiorum, sed in dispensatione supremi principis requiri solet cognitio causæ, ut patet ex Tridentino, sess. 23, cap. 8, et tamen constat apud omnes in dispensationibus pontificiis non requiri illam formam cognitionis causæ ut validæ sint. Igitur solum potest illa forma esse necessaria, ut in foro exteriori censeatur valida dispensatio, quia, ubi non præcedit illa causæ cognitio, surreptitia præsumitur dispensatio, ut idem Tridentinum dixit; imo existimo posse hanc præsumptionem elidi in foro externo, si sufficienter probetur causam legitimam interfuisse, quia tunc per sufficientem probationem constabit in foro externo dispensationem esse validam; ergo nulla ratio superest, cur possit nulla præsumi aut pronuntiari, neque etiam cur possit irritari, quia nullum est jus quod hoc præcipiat, vel quod talem penam imponat.

3. Hoc ergo supposito, difficultas est de dispensatione principis in lege sua, et eadem est de quocumque legislatore in sua lege, etiamsi supremus simpliciter non sit, quia eandem proportionem servat ad legem suam. Videtur ergo talis dispensatio semper esse nulla. Primo, quia semper est injusta, ut supra probatum est: ergo semper est nulla. Probatur consequentia, quia lex injusta non est lex: ergo nec dispensatio injusta est dispensatio,

juxta dictum Bernardi l. 3 de Consid., c. 4. in fine, ubi, numeratis causis justæ dispensationis, ait: *Cum nihil horum est, non plane dispensatio, sed crudelis dissipatio est.* Secundo, talis dispensatio etiam excedit potestatem dispensantis: ergo est nulla, quia actus sine potestate factus nullus est. Antecedens patet ex supra dictis, quia superior dispensans etiam in lege sua non operatur ut dominus, sed ut dispensator fidelis et prudens: ergo operatur per potestatem a supremo rectore, ac legislatore Deo concessam; sed non minus Deus, imo multo magis, quam humanus princeps, præsumitur dare suam potestatem adstrictam legibus justitiæ, et illius formam postulare tanquam essentialem in actu talis potestatis, quia *quæ a Deo sunt, ordinata sunt*, multo certe magis quam ea quæ sunt ab humano principe, et ideo dicitur Deus non dare potestatem in destructionem, sed in ædificationem, 1 Corinth. 10; ergo illa dispensatio, quæ dissipatio est, et in destructionem, non est a potestate data a Deo, ac subinde est nulla.

4. Tertio, illa dispensatio non reddit tutum dispensatum, si de defectu causæ illi constet: ergo non est valida. Probatur consequentia, quia si esset valida, tolleretur obligationem legis, et sic redderet subditum tutum in conscientia, quia non violaret legem. Probatur autem antecedens, quia, non obstante tali dispensatione, peccat subditus utendo illa, ut fere omnes fatentur: ergo non est tutus. Respondet Cajetanus peccare quidem, non tamen contra obligationem legis positivæ, quæ per dispensationem ablata fuit, sed contra legem naturæ præcipientis uniformitatem partis cum toto corpore. Sed contra: nam lex naturæ non obligat ad uniformitatem in opere in quo non est uniformis obligatio; sed posita dispensatione valida, jam non est uniformis obligatio respectu talis operis; ergo nec jus naturæ obligabit ad servandam uniformitatem in illo, vel si obligat non obstante tali dispensatione, signum est non esse validam illam dispensationem. Quarto, si princeps posset valide dispensare cum subdito sine causa, et pro sua voluntate: ergo multo magis secum, quia, sicut voluntate sua posita est lex respectu aliorum, ita et respectu sui: ergo eadem absoluta voluntate poterit a se obligationem talis legis auferre, qua potest a subdito. At consequens est falsum, alias nunquam princeps obligaretur illa lege, quia obligatio quæ sine causa et propria voluntate tolli potest, nulla profecto

est, vel nullius momenti, ut supra argumentabar.

5. Propter hæc vel similia argumenta aliqui dixerunt dispensationem datam, etiam a Papa, in lege canonica, esse nullam, nullumque effectum habere, ac subinde æque peccare subditum non servando legem post illam dispensationem ac si illam non haberet, et si lex irritet actum, etiam fore æque irritum post dispensationem. Ita tenet Fortun. Garc. in l. *Gallus*, § *Et qui si tantum*, ff. de Lib. et posthum.; sequitur Mendoz. de Pactis, lib. 1 quæst. 2, n. 35; et in foro conscientiæ idem esse dicendum censuit Loazes de matrim. Reg. Angli., dub. 4, n. 14 et 15; et quando dispensatio affert præjudicium tertio, idem censuit Mincha. lib. 1 Quæst. illustr., cap. 23, n. 16, et cap. 26, n. 6, de cujus sententia dicam solvendo argumenta. Ex theologis vero solus Vasq. inclinatur in hanc sententiam, 1, 2, disp. 178, cap. 4, quamvis in fine dicat aliis iudicium relinquere. Refert etiam pro hac sententia Glossam, Jas. et alios asserentes talem dispensationem non reddere tutum in conscientia eum cum quo dispensatur; sed illi in alio sensu locuti sunt, ut in solutionibus argumentorum dicam.

6. *Dispensatio in lege sua est valida sine causa justa.*—Nihilominus dico talem dispensationem esse validam, ac subinde habere illum effectum ad quem datur. Hanc assertionem nunquam satis expressit D. Thomas; indicat tamen, in eo quod solum ubique dicit, peccare legislatorem sine causa dispensando, vel non debere dispensare sine causa, ut patet 1, 2, quæst. 97, art. 4, et quodlib. 4, art. 13, et sæpe alias. Alii vero theologii, qui quæstionem attigerunt, in hac assertionem conveniunt, ut Cajetanus, dicta quæst. 96, art. 3; Soto, dicta quæst. 6, a. 3, et alii noviores theologii, tam generatim ad dictam quæst. 97 D. Thomæ, art. 4, quam in particularibus locis quos congerit Sancius supra n. 24, ubi etiam refert Summistas et jurisperitos quamplures. Maxime vero tractari solet in c. *Quia in Ecclesiarum*, de Constit., ubi videri possunt Deci., n. 17; et Felin., n. 13, et in § *De adulteriis*, sub cap. *At si clerici*, de Judic., et in c. *De multa*, de Præbend., et in cap. *Ad monasterium*, de Stat. monach., et in cap. *Non est*, de Voto. Quibus locis videri præcipue possunt Innocent. et Panormit., et alii allegati capite præcedenti in principio, et præsertim Covar. in 4, 2 p., cap. 6, § 9, n. 8 et sequent., et Gigas de Pension., quæst. 6, num. 9.

Dispensationis vis ab auctore legis pendet.— Fundamentum hujus assertionis est, quia lex pendet ex voluntate imponentis illam: ergo si ipsemet voluntate sua fert illam respectu alicujus, reipsa ablata manet, licet fortasse superior peccet auferendo. Nam, ut Glossa dicit in lege *Relegatum*, ff. de Pœnis, ut lex non obliget, est in principe pro ratione voluntas, quia a voluntate ejus pendet lex, ut in fieri, ita et in conservari. Confirmatur: nam hac ratione, licet princeps, abrogando legem sine causa, peccet, nihilominus subditi jam non obligantur lege, quia in effectu pendet a voluntate legislatoris: ergo idem si ex parte tantum, respectu alicujus, tollat legem. Declaratur etiam, nam si dispensatio non esset cum una persona tantum, sed cum tota communitate, pro una vel altera vice, revera esset valida dispensatio, quia esset ablatio præcepti pro tali die: ergo idem est si sit ablatio præcepti pro tali persona. Item si a principio princeps tulisset legem, excipiendo ab illa Petrum vel Paulum, illi nunquam essent obligati lege, quia de facto illis nunquam est imposita, sive legislator cum ratione exceperit, sive non; ergo idem est si semel posita auferatur. Denique confirmatur, quia absolutio a censura data injuste, et sine causa ab auctore censuræ, valida est, cap. *Venerabilis*, § *Sane*, de Sentent. excommunic., in 6; ergo idem est de dispensatione: nam quoad hoc par est ratio.

7. Ut autem hoc fundamentum solidius appareat, objici contra illud potest, quia interdum est in potestate voluntatis habere vel non habere actum, et impedire effectum ejus, ut in voluntate mea est promittere vel non promittere, non est autem in potestate mea promittere, et non me obligare. Sic ergo, licet in voluntate legislatoris sit ponere vel auferre legem, tamen, si vult per legem obligare totam communitatem, non potest, etiamsi velit, eximere aliquem ab efficacia legis sine causa. Quia lex per se primo respicit communitatem, et ideo quoad durat, necessario et quasi naturaliter, seu ex vi juris naturæ, obligat omnes qui sunt de communitate et uniformiter participant causam seu rationem legis: ergo exemptio ab illa obligatione jam non potest effici sola voluntate, sed per potestatem dispensativam, quæ respicit causam. Nam quodammodo læditur jus naturale, sine causa diminuendo obligationem legis, perseverante lege. In quo cernitur clara differentia inter abrogationem et dispensationem legis: nam per abrogationem tollitur omnino lex, et ideo licet irrationabili-

ter fiat, valet, quia legem esse vel non esse absolute pendet a voluntate legislatoris: at vero per dispensationem non tollitur lex, sed, manente lege, per talem dispensationem fieri tentatur, ut obligatio legis non uniformiter descendat ad eos in quibus eadem causa et ratio reperitur, quod est contra legem naturalem, et ideo non ita pendet ex nuda voluntate legislatoris, etiam ut factum teneat, sed oportet ut inæqualitas vel disparitas sit in causa. Et hanc objectionem confirmant duæ rationes in principio factæ. Et per eandem videntur facile dilui exempla pro assertionem adducta. Nam de abrogatione jam dictum est non videri similem rationem. Idemque videtur de absoluteione, quia non est actus qui versetur circa communitatem, sed circa particularem personam. In alio vero exemplo poterit facile negari quod in eo supponitur.

8. *Lex non est regula indivisibilis, sed extensionem habet.*— Hæc vero objectio supponit legem esse aliquam indivisibilem regulam, quæ, semel posita, necessario et quasi naturaliter obliget omnes, ita ut non possit ab aliquibus auferri, etiamsi pro communitate permaneat. Hoc autem falsum est: nam hæc regula revera non est nisi voluntas legislatoris: nam illa eadem est ipsa lex, vel certe ab illa omnino pendet obligatio legis. Voluntas autem legislatoris libera est, in obligando tam communitatem totam quam singulos de communitate, et ita ex parte objecti non est indivisibilis, sed extensionem habet, ratione cujus potest perseverare circa communitatem obligando illam, et mutari circa unum vel alium de communitate, nolendo illum obligare. Quod manifeste patet, quia etiam dispensatio ex causa supponit hanc extensionem ex parte objecti, et partialem diminutionem (ut sic dicam) ex parte voluntatis obligandi; ergo, quod attinet ad possibilitatem, potest eodem modo mutari, seu diminui voluntas legislatoris, etiam sine justa causa, solum cum hac differentia quod mutatio ex justa causa est licita, sine causa autem erit illicita. Nihilominus tamen suum effectum habebit, quia voluntas superioris dispensantis absoluta est et efficax; vult autem tollere obligationem ab eo cum quo dispensat, ergo tollet illam. Probatum consequentia, quia nihil est quod irritam faciat illam voluntatem dispensantis, quia nec datur jus positivum irritans illam, nullum enim assignari potest, maxime respectu supremi legislatoris: nec etiam jure naturæ ostenditur irrita, ut patebit facile respondendo ad argumenta. Et declaratur optime

argumento facto, si a principio feratur lex, excipiendo aliquem indebite a vinculo legis; tunc enim aut tota lex erit nulla, quod verisimile non est, aut exceptio erit valida, quia non minus fit per absolutam voluntatem legislatoris, quam ipsamet lex. Et idem etiam confirmat exemplum de abrogatione legis utilis sine causa facta: nam certe non est minus injusta, imo magis quam dispensatio iniqua, et nihilominus facta tenet: ergo etiam dispensatio. Neque obstat differentia assignata, quia, licet facta dispensatione maneat lex, non tamen æque integra sicut antea, sed vulnerata. Quod si contrarium assumitur in differentia assignata, falsum est assumptum, et in illo petitur principium, quia, licet lex maneat circa communitatem, non sequitur necessario manere circa singulos de communitate, in quibus eadem ratio reperitur, quia hoc pendet ex libera voluntate legislatoris, sive justa, sive injusta.

9. *Quomodo legislator tenetur licentiam datum auferre.*— Unde ad primum argumentum concedo talem dispensationem esse injustam, et nego inde consequi esse nullam, quia multa injuste fiunt quæ nihilominus facta tenent, donec annullentur. Quod maxime locum habet in his quæ tantum sunt contra justitiam legalem (ut ostendit exemplum de iniqua abrogatione legis), vel contra solam distributivam, ut patet in electione digni, prætermissa digniori, quæ valida est, licet sit injusta. Vel etiamsi actio sit contra justitiam commutativam, potest esse valida, si injustitia potest aliter tolli quam per actus nullitatem, ut patet in venditione rei injusto pretio citra dimidiam. Hæc autem omnia habent locum in præsentibus, quia dispensatio sine causa per se tantum est contra justitiam distributivam, vel remote contra legalem, et quatenus est contra obligationem justitiæ commutativæ ratione officii, debet retractari; quoad vero non revocatur, valida permanet. Unde mihi valde probabile est quod, licet illa dispensatio sit valida, semper tenetur legislator illam licentiam auferre, quia semper pendet ab ejus voluntate, in qua perseverare inordinatum est, durante eodem defectu causæ, quia semper repugnat communi bono et obligationi officii.

10. Adde præterea interdum ex tali dispensatione sequi injustum nocumentum tertii repugnans commutativæ justitiæ, et tunc ex illo capite dispensationem posse esse invalidam, quia non potest dare licentiam ad actum injustum, et quoad hoc tantum recte æquiparatur dispensatio injusta cum lege

etiam injusta. Oportet tamen advertere duobus modis posse nocumentum injustum tertii conjungi cum dispensatione. Primo, per actionem ipsius principis, ut si princeps sine causa eximat aliquem a lege tributi, et nihilominus a communitate exigat eandem pecuniæ quantitatem, plus justo onerans reliquos; et hoc non est satis ut dispensatio sit nulla, quia illa injustitia non fit a subdito dispensato, neque est intrinsece connexa cum dispensatione, sed fit ex injusta voluntate principis, et ab eodem debet resarciri, et non a subdito exempto, nisi ad talem injustitiam cooperatus fuerit. Alio modo potest fieri injustitia per actionem ipsius subditi obtinentis dispensationem, ut si ratione illius vendat rem carius quam valeat secundum communem estimationem, et tunc procedit quod dictum est, dispensationem ex eo capite esse nullam.

11. *Duplex potestas in legislatore.*— Ad secundum respondeo hanc dispensationem excedere potestatem juris (ut sic dicam), non facti. Distingui enim debet duplex potestas in legislatore; una est naturalis, volendi, vel nolendi, quam voco potestatem facti; alia superaddita, seu jurisdictionis ad obligandum alios. Dispensatio ergo sine causa data magis est a priori potestate, a qua habet substantiam et valorem suum, quia superior volens sic dispensare operatur ut dominus suæ voluntatis, et quoad hoc non operatur ultra suam potestatem, et hoc est satis ut sit validus actus, etiamsi non sit secundum usum debitum alterius potestatis jurisdictionis suæ. Nam si quis recte advertat, ille abusus talis jurisdictionis omissivus potius est quam activus (ut ita dicam): nam qui vult dispensare, solum vult non obligare subditum sua lege, et ita potius vult non uti circa illum jurisdictione sua quam uti, et ideo talis actus validus est, etiamsi sit extra talem potestatem, id est, extra positivum usum ejus. Quia potestas jurisdictionis quoad usum essentialiter pendet a voluntate habentis illam, et ideo ut non influat, vel non obliget, satis est ut superior nolit sua jurisdictione uti, etiamsi male faciat non utendo. Ita ergo se habet cum vult dispensare sine causa: nam, licet verbum *dispensare* significet per modum effectus positivi, revera est privativus, et ideo non tam proprie dicitur ille actus excedere potestatem jurisdictionis, quam deficere a debito usu ejus; actus autem habens similem defectum validus est ex vi absolutæ voluntatis, ut patet in abrogatione legis, et idem est in remissione pœnæ sine causa facta, et similibus.

12. In tertio argumento petitur an liceat subdito uti tali dispensatione; multi enim auctores negant, ut expresse Rebuffus in Practic., titulo de Dispensatione ad plura beneficia, n. 53; ait enim nec Papam dispensantem sine causa esse tutum, nec dispensatum. Idem Covarr. supra, ubi refert plures canonistas ex supra allegatis, indicatque dispensationem hanc solum esse validam quoad tollenda impedimenta irritantia, vel inhabilitates legales, ita ut actus in virtute ejus factus teneat, et in foro exteriori, et in re ipsa: non vero esse validam talem dispensationem quoad tollendam obligationem legis, et ideo non reddere tutam conscientiam dispensati. Existimo tamen Covarr. non fuisse locutum in hoc sensu, sed in alio intento a Cajetano quem allegat. Itaque consequenter ad dicta, certum est dispensationem hanc esse validam, etiam quoad tollendam obligationem legis, de qua conceditur, ut expresse declaravit Cajetanus d. q. 96, art. 5, in fine. Et patet ex dictis, tum quia non minus pendet obligatio a voluntate legislatoris, quam alii effectus legis humanæ, quales sunt inhabilitates, vel irritationes actuum; tum etiam quia nulla major repugnantia potest in uno ostendi quam in alio; tum præterea quia multæ dispensationes conceduntur in legibus prohibentibus sine irritatione, vel in legibus pure directivis, et nihilominus eodem modo censentur validæ, propter idem fundamentum quod pendet ex voluntate dispensantis.

13. Hinc ergo necessario sequitur subditum sic dispensatum non peccare contra legem, in qua cum illo dispensatum est; quia ablata est illius obligatio, ut, si erat lex de jejuniis, ablata fuit obligatio temperantiæ, et ideo non jejunando non est intemperans. Neque etiam dici potest inobediens, cum non agat contra voluntatem superioris. Quæ ratio in universum probat legem illam tunc non obligare, quia obligatio legis humanæ nititur in illo principio: *Obediendum est superioribus*, quod non habet locum ubi voluntas superioris deest; ergo nec obligatio legis, ergo nec peccatur contra illam: quoad hunc ergo effectum etiam est valida dispensatio. Nihilominus tamen Cajetanus putat subditum peccare, utendo tali dispensatione, quia, licet non agat contra legem humanam relaxatam, agit contra principium illud naturale, quod pars non debet discordare a toto sine causa. Quia turpis est pars quæ toti non convenit; est enim rationi dissonum ut aliquis in communitate vivat, et non utatur eodem jure cum aliis, sine justa excusatione. Atque

in hoc sensu loqui videntur Covarr., Rebuffus et alii antiquiores canonistæ, quos ipsi referunt, dicentes sic dispensatum non manere tutum in conscientia; et idem sequitur Navarrus in Summa, prælud. 9, n. 14, qui hoc temperat, ut intelligatur de obligatione sub culpa veniali, non mortali, quod placet multis modernis quos refert, et sequitur Saneius, d. disp. 18, n. 12 et 13, et est valde probabilis opinio.

14. Mihi vero probabilius videtur in usu talis dispensationis nullum esse peccatum, per se loquendo, ac secluso scandalo, prout tenet Angel., verb. *Dispensatio*, n. 3; et Sylvester, q. 3; Soto etiam, l. 1 de Justitia, q. 7, a. ult., in fine, satis propensus est in eadem sententiam: nam ejus ratio ad hoc tendit, quamvis postea solum concludat, cessante scandalo, non esse culpam pejorem quam venialem. Absolute vero non esse culpam dixit Navarrus in Summa, cap. 12, n. 57, citans Adrianum in 4, in materia de restitutione; et sequitur Aragon. 2. 2, q. 89, a. 9, in fine; et Medin., in Summa, l. 1, cap. 14, § 10; Palacius, in 4, dist. 15, disp. 8, col. 1, et dist. 38, disp. 2, col. 2; Gigas de Pensio., q. 6, n. 13; et idem videtur sequi Felinus in c. *Ad audientiam*, 2 de Rescript., n. 4, ubi ita intelligit Innocent., Cardin. Speculator. et alios simpliciter dicentes sic dispensatum manere tutum in conscientia. Ratio vero est, quia imprimis subditus utens tali dispensatione non cooperatur peccato dispensantis, sed utitur effectui talis dispensationis, in quo effectui nulla est malitia; imo, licet postea illa utatur, non prosequitur, vel quasi continuat prius peccatum, quod jam præterit. In quo magnam invenio differentiam inter dispensantem, et dispensatum sine causa: nam qui dispensavit potest revocare dispensationem quoad usum futurum, et tenetur id facere, ut supra dixi; et ideo, quoties sciens et videns id non facit, quasi prosequitur prius peccatum, seu de novo illud repetit, sicut dici solet de illo qui furatus est, dum non restituit. At vero subditus, postquam obtinuit dispensationem, sive in eo peccaverit, sive non, postea non potest illam revocare; imo neque illi potest renuntiare semper, ut infra dicam; et quamvis posset, non tenetur, quia non spectat hoc ad officium ejus, et ideo nullo modo perseverat moraliter in peccato, si quod fortasse commisit obtinendo talem dispensationem, etiamsi illa utatur; imo cum tali usu stat vera poenitentia prioris peccati. Et ex hac parte est mihi certum non esse deformitatem gravem in illo usu. Quod vero nec levis seu venialis sit per se et

ex objecto, probatur, quia tunc ille subditus non potest dici turpiter agere discordando a toto in tali opere, quia etiam est dispar in obligatione legis, neque apparet unde oriatur obligatio ad tantam uniformitatem in opere, ubi est difformitas in obligatione legis. Item non apparet cujus speciei esse possit malitia illius culpæ, quia non est contra justitiam, ut per se notum videtur, nec etiam contra charitatem, quia, secluso scandalo, nulla intervenit ratio talis obligationis. Est ergo verisimilius nihil peccare eum qui secrete et sine scandalo utitur sua dispensatione, quando alioqui ille usus seu actus utendi de se non est malus, et fit propter honestum finem, quia illud nec est novum præjudicium legis, neque etiam bono communi præjudicat.

15. *Licet subditus non peccet, peccat tamen legislator secum injuste dispensatione utendo.*— Quartum argumentum petit an legislator ipse possit hoc modo secum dispensare valide in sua lege sine causa. In quo Cajetanus supra affirmat, et prorsus eodem modo censet de ipso legislatore ac de subdito dispensato; ait enim non peccare postea contra legem suam, peccare autem contra naturalem obligationem quam caput habet non discrepandi a corpore. Et quidem Cajetanus consequenter loquitur, supponendo legislatorem obligari sua lege proprie, et per se, seu immediata obligatione legis positivæ humanæ: nam tunc procedunt rationes supra factæ, quod talis obligatio efficaciter tollitur per absolutam voluntatem ejus qui illam posuit. Nihilominus tamen in usu talis dispensationis necessario est constituenda differentia inter legislatorem et subditum: nam in legislatore talis usus peccaminosus est, etiamsi in subdito possit esse sine peccato, vel, licet demus in subdito esse peccatum veniale, in legislatore est mortale ex suo genere; et ratio differentiæ sumitur ex dictis, quia superior peccat graviter secum dispensando sine causa, ut supra ostendimus, et potest, consequenterque tenetur, illam dispensationem revocare; et quoties voluntarie in ea permanet, peccatum illud prosequitur seu repetit, ut jam declaratum est. Utendo autem tali dispensatione virtute illam confirmat, imo iterum illam sibi concedit; ergo saltem hoc titulo peccat mortaliter in illo usu. Et in hoc est dispar ratio in subdito, ut declaravi. Neque est mirum quod in hoc sit majus gravamen principis quam subditi, quia princeps tenetur ex officio, et ex justitia distributiva, vitare illam improportionem quæ est in tali dispensatione, qua obligatione

subditus non tenetur. Et confirmatur, quia alias vel nullius vel parvi momenti esset obligatio principis per suam legem, quia sola voluntate potest valide auferre a se obligationem illam, et postea non peccaret, saltem graviter, illam legem non custodiendo. Consequens autem est contra superius dicta l. 3, cap. ult. Quamvis ergo dicatur illa dispensatio valida, quia dum durat aufert vinculum legis, juxta prædictam opinionem; nihilominus non transit in factum (ut sic dicam) omnino præteritum, sed semper pendet ex voluntate ipsius principis, qui potest et debet illam retractare, et ideo in usu illius non minus peccat quam in ejusdem dispensationis usurpatione. Et idem dicendum est juxta hanc sententiam, si princeps a principio ferret legem animo obligandi alios et non seipsum: nam exceptio de facto valida esset; peccaret tamen graviter in illa voluntate, et semper teneretur eandem retractare, et ob id semper graviter peccaret, non contra ipsam legem positivam, sed contra naturalem.

16. Id vero quod hæc sententia supponit, nimirum, obligari principem sua lege ex vi suæ voluntatis, difficillimum creditu est, quia obligatio legis, quatenus fundatur in voluntate ferentis illam, est obligatio manans ab imperio. Unde est obligatio subditi ad superiorem, hæc enim relatio est intrinseca proprio imperio morali: unde, licet dicatur quis sibi ipsi imperare physice se movendo, seu impellendo, non tamen moraliter se obligando, sicut etiam promittendo, vel contrahendo non potest se obligare sibi, sed alteri: ergo etiam in præsentia non potest illa obligatio legislatoris per legem suam a propria ejusdem voluntate manare. Et confirmatur; nam obligatio legis humanæ, ut est ab humana voluntate, est obligatio obedientiæ, vel saltem illam intrinsece includit, seu in illa radicatur; non potest autem ejusdem ad seipsum esse vera obedientia: ergo. Propter quod supra, libro 3, cap. ultim., censui hanc obligationem legislatoris ad opus præceptum per legem suam, supposita voluntate ferendi talem legem, non pendere ex speciali voluntate ejusdem legislatoris comprehendendi seipsum sub tali lege, quia necessario obligatur, etiamsi nolit, ex vi legis nature præcipientis illi ut observet illud medium virtutis quod per legem suam statuit pro tota communitate, quando materia legis communis est, et uniformitatem postulat in capite cum corpore, ubi nulla ratio justa exemptionis intervenit.